

**CICHORACEÆ.**

**LAMPSANA PISIDICA** Boiss. et Heldr.

*L.* annua vel biennis secùs partem inferiorem caulum et folia inferiora pilis longis crispis tenuibus subviscidis hispida supernè glaberrima, caule erecto supernè longè et dichotomè ramoso effusè paniculato-corymboso, foliis lyratis segmentis lateralibus utrinquè 2-3 basi attenuatis ovatis acutè repando-denticulatis terminali duplò majori e basi truncatâ vel subcordatâ triangulari-ovato acuto, rachide inter segmenta lobulis auctâ, foliis caulinis superioribus angustè linearibus acutis integerrimis summis setaceis brevibus, pedunculis tenuibus rigidulis capitulo obconico 3-8 plò longioribus, involucri breviter calyculati phyllis lätè virentibus glaberrimis elliptico-linearibus obtusis, flosculis radii luteis involucro duplò longioribus.

*L. intermedia* var. in pl. Heldr. Anat. 1846.

Hab. in saxosis inter frutices faucis *Tsimbouckkan* inter *Adalia* et *Sparta*. (Heldr.)

Hæc species quam primùm cum *L. intermedia* MB combinaveramus ab eâ notis sequentibus sat differre videtur. *L. intermedia* quæ cæterum perennis esse videtur habet infernè indumentum parcum brevissimumque, ramos caulinos ferè ad extremitatem usquè foliosos nec nudos, foliorum segmenta lateralia utrinquè solitaria nec bina vel terna triangulari vel ovato-acuminata, segmentum superius 2 poll. et amplius longum latumque nec ut in nostrâ specie pollicare

**LAMPSANA CASSIA** Boiss.

*L.* annua vel biennis infernè densè glanduloso-pilosa supernè glaberrima, caule crasso elato supernè divaricato-ramosissimo effusè paniculato-corymboso, foliis pinnatipartitis segmentis lateralibus utrinquè 3-4 ovatis repando-dentatis basi attenuatis terminali aliis rarò majori ovato-triangulari vel oblongo, foliis caulinis superioribus angustè linearibus integerrimis summis setaceis, pedunculis tenuibus capitulo obconico-ovato 2-4 plò longioribus, involucri breviter calyculati phyllis glaberrimis livescentibus elliptico-linearibus obtusis, flosculis radii luteis involucro sesquialongioribus.

Hab. in umbrosis rupestribus regionis inferioris montis *Cassii* et Antilibani suprà *Zebdani*. Legi Maio 1846.

Affinis præcedenti a quâ differt indumento glanduloso partis inferioris plantæ, foliis vix lyratis pinnatipartitis segmentis copiosioribus, caule multò ramosiori polycephalo pedunculis brevioribus, involuci phyllis livescentibus radio breviori. *L. intermedia* characteribus in Diagnosi præcedenti datis longius differt. *L. adenophora* denique tota ad apicem usquè glandulosa est, habet prætereà folia lyrata, paniculam contractissimam, phylla ad medium setosa ctc.

**LAMPSANA RAMOSISSIMA** Boiss.

*L. biennis*, infernè parcè pilis albis sparsis patulis flexuosis obsita supernè glaberrima, caule ferè a basi dichotomè ramosissimo effusisimè paniculato, foliis radicalibus lyratis lobis lateralibus utrinquè 3-4 oblongis subretrorsis acutis repando-dentatis terminali 2-3 plò longiori oblongo vel e basi truncato-subcordatè triangulari acuto, foliis caulinis paucis linearibus acutis rameis brevissimis setaceis, pedunculis gracillimis capitulo obconico 6-8 plò longioribus, involuci basi brevissimè calyculati phyllis viridi-sublivescentibus glabris vel infernè puberulo-glandulosis apice membranaceis acutiusculis, flosculis radii involucro subduplicè longioribus.

Hab. in *Libano* suprà *Cedros*, in lapidosis regionis inferioris *Hermonis* suprà *Rascheya*.

Speciei præcedenti valde affinis sat tamen differre videtur caule a basi ramoso non glanduloso, capitulis paulò minoribus, involuci phyllis apice membranaceo-attenuatis. — Species ternæ hic descriptæ forsan inter se nimis affines sed donec specimina *intermedia* eas formas unius speciei polymorphæ esse docuerint eas seorsim proponere debui.

**KÆLPINIA SESSILIS** Boiss. in Kotsch. pl. Pers. bor. 1846.

*K. annua* caulibus brevissimis sub anthesi saepius nullis, foliis glaucis glabris linearibus brevibus integerrimis, capitulis ad collum et secundùs ramos sessilibus minimis, involuci phyllis adpressis lanatis elliptico-linearibus albo-marginatis, acheniis striatis dorso aculeis patulis hamatis obsitis pretereà glabris in capitulis diversis dissimilibus aliis elongatis semicirculariter incurvis apice subampliatis vix bifidis, aliis